ditate dicit. Iudicia dei de quibus apostolus: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius. Nam licet dicat poenitentibus
indulgeat hoc ipsum incertum est et occultum. Sicut scriptum est. Quis scit si convertatur et ignoscat deus et convertatur a furore irae suae.
Sive incerta et occulta prophetiae donum dicit. quod dixerat filium dei ex se generandum. et omnia mysteria passionis et resurre
ctionis eius. Sed cum collata dei sibi enumerat munera suam exaggerat culpam. Tanto minus enim peccare debuerat quan
to maiorem gratiam se percepisse sciebat. Asperges me domine ysopo et mundabor lavabis me et super nivem dealbabor. Hysopus est herba humilis. saxo cui
innascitur pastricta pectus et praecipue pulmones curat. In pulmone notatur superbia quia ibi inflatur ubi aer recep
tus et remissus altum facit. In pulmone quoque superbia in ysopo vero humilitas designatur. Christo adherens qui est lapis. paulo dicen
te. petra autem erat christus. Hysopo quoque aspergitur quisquis humilitatem christi imitatur. per quam a peccatis mundatur. aqua quoque qua lava
mur baptismum designat. quo abluti super nivem dealbamur. quia in baptismo omnes sordes originalium et actualium criminum
lavantur. et sicut adam creatus mundi efficiuntur. Auditui meo dabis gaudium et laeticiam. Post mundatam conscientiam per hu
millimam confessionem. iam se ea dicit auditurum quae illi gaudium et laeticiam conferant. Gaudium de absolutione. laeticiam de spe
percipiendorum premiorum conferant. Et exultabunt ossa humiliata. Ossa robur animi sive firmamentum. Haec ossa neces
se fuerat humiliari per penitentiam. Nam conscientia patrasti omnem fiduciam animi sive firmamentum. id est virtutum fortitu
dinem in eo humiliaverat. Sed iam percepta absolutione et exultatione. et recuperata spiritus sancti gratia quam ad tempus amiserat. haec
ipsa ossa dicit repleri exultatione. Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. Quando hoc fit. id est cum a peccatis nostris faciem deus
avertit. et iam cum videt si nos ab illis faciem non avertamus. sed semper illa prae oculis habeamus. Videt enim peccatum cum punit. Cum autem misertus
indulget. tunc faciem avertit. Unde sequitur. et omnes iniquitates meas dele. Tunc enim faciem a peccatis avertit. cum illa delet et non recordatur.
Est in caelestis liber in quo sanctorum nomina scripta sunt. est et reproborum liber. de quo hieremias. recedentes a te in terra scribentur. Tali
bi peccatum iuda scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino. Recte quoque peccatum deleri dicitur. cum indulgetur. Cor mun
dum crea in me deus. quid sit crea ostendit subdens. spiritum rectum innova in visceribus meis. Petit quoque creari id est innovari et re
staurari in se mundum cor. quale ante peccatum habuerat. unde et divino ore laudatus est. Inveni david virum secundum cor
meum. qui faciet omnes voluntates meas. Et spiritum rectum innova in visceribus meis. Hoc est illum spiritum et innoxium. qui in me rectus erat.
sed per peccatum curvatus et depravatus est. innova et repara in interiore homine meo. Sive spiritum rectum donum dicit prophetiae.
quod se quasi consenuisse et imminutum fuisse sentiebat. Spiritus enim ut scriptum est disciplinae effugiet fictum. nec habitabit in cor
pore subdito peccatis. Ne proicias me a facie tua. Proicitur a facie dei qui non vult curari. qui desperat de potentia et pietate
medici. De talibus salomon dicit. Considera opera dei. quod nemo corrigere potest. quem ille despexerit. Rogat quoque ut non proicia
tur a facie dei. sed misericorditer respiciatur. Confitens et non abscondens quod fecit. sequitur. et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Non
rogat ut detur ei spiritus sanctus. quia erat in confitenti. Hoc enim ad donum spiritus sancti pertinet. quod peccata sua dampnat. quod sibi displicet in
his quae male gessit. Quia quoque sine spiritu sancto non fit confessio vera peccati. recte non postulat ut detur. sed ut non auferatur. Redde mihi
laeticiam salutaris tui. Salutare dei patris filius est. quem nimis offenderat et indignum se prebuerat. ut ex eius stirpe ve
niret in mundum. Redde quoque dicit. quia multum sibi gratiae sciebat imminutum. Laeticiam vero illam dicit ineffabilem exultatio
nem qua exultabat quod pater domini dici dignus habebatur. Et spiritu principali confirma me. id est summo et omnipotenti deo. Confirma
inquit hoc est firmiter in virtutis soliditate constitue me. ut non amplius a statu iusticiae deiciar. Inter haec sciendum quod ter
hic repetitur spiritus; Quidam non absurde aiunt. totam designari trinitatem. et in spiritu recto filium. in spiritu sancto. ipsum spiritum
sanctum tertiam in trinitate personam. In spiritu principali. patrem intellegunt. deus enim ut in evangelio legitur spiritus est. Nec mo
veat personarum ordo praeposterus. quia in sancta trinitate quae unus est deus. nullus primus. nullus est ultimus. et hoc factum credit
providente eodem spiritu sancto. ne arrianis daretur occasio trinitatem meritorum gradibus dividendi si semper patrem primum. et ipsum spiritum
sanctum poneret ultimum. Docebo iniquos vias tuas. Iam peracta penitentia. iam satisfactione suscepta. et iam iniquos se duc
turos suo promittit exemplo ad melius conversuros. Duo autem sunt genera doctrinae. unum quod verbis exhortantur boni corrigunt
et emendant malos. aliud quod exemplis ceteros instruunt. Quod utrumque hic tangit. Dicit enim. docebo iniquos; verbis ipsi convertentur
nimirum bonorum factorum exemplis. Libera me de sanguinibus deus deus salutis meae. Sanguis a grammaticis semper singulariter ef
fertur. Sed vates divinus ut exprimeret quod volebat. non curavit de praeceptis humanae inventionis. Sanguis enim in
scripturis pro peccato accipi solet. De sanguinibus quoque id est multitudine peccatorum se liberari deposcit. ut dimissis

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. p.%20110 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/p.%20110)